

ANNO DOMINI MCXXXVIII

RODULFUS

ABBAS S. TRUDONIS

NOTITIA HISTORICA ET LITTERARIA

FABRIC. *Biblioth. med. et inf. Lat.*, t. VI, p. 115)

Rodulfus, abbas monasterii S. Trudonis (*Saint-Tron*), diœcesis Leodiensis, ipse vitæ suæ notitiam exhibet a libro VIII Chronici Trudonensis usque ad lib. XIII, unde pauca excerpenda sunt. Natus est in villa quæ sita est super Sambriam fluvium, nomine Monasterium, ubi habetur abbatia monialium nigras vestes ferentium. Leodii studia tractavit usque ad annum XVIII, deinde monachus factus Porceti juxta Aquisgranum, ad custodiam, magistri puerorum, cellerarii, minoris et majoris præpositi dignitatem aspiravit. Postea ad monasterium S. Trudonis perrexit, ubi rursus pueros docuit, postea decanus sive prior, tandem ann. 1108 abbas fuit. Electus quoque a. 1121 abbas S. Pantaleonis in diœcesi Coloniensi munus utriusque administravit, disciplinæ monasticæ studiosissimus. Vide Chronica regia S. Pantaleonis, tom. I, Eccardi, p. 927; Val. Andreæ *Bibl. Belgicam*, p. 801; Swertii *Athenas Belgicas*, p. 665; Oudinum, *tomo II*, p. 1010; *Galliam Christianam*, t. III, p. 739, 958.

Ejus opera sunt sequentia :

1. *Gesta abbatum Trudonensium*, ord. S. Benedicti, edita a Dacherio, *Spicil.* tom. VII, edit. novæ tom. II, p. 659.

2. *Epistola ad Waleramnum ducem Limburgensem, advocatum monasterii Trudonensis, De ejus monasterii statu* : exstat in Aub. Miræi *Codice piarum donationum*, tom. I, p. 61, edit. novæ : alia p. 520.

3. *Epistola ad Stephanum, episcopum Metensem, de statu monasterii sui* : est liber IX *Historiæ Trudonensis*, pag. 691.

4. *Rescriptum ad cœnobiũ S. Pantaleonis, a quo quæsitus fuerat, an liceat aliquid pro receptione puerorum accipere?* Exstat in *Analectis Mabillonii*, tom. II, p. 495, et 466 edit. novæ.

5. *Vita Lietberti episcopi Cameracensis*. *Ἀγιολόγιος* edita erat a Dacherio t. IX (edit. novæ tom. II, pag. 138); nostro autem vindicat Mabillonius ex ms. codice Aquicinctiensi, ubi subscriptio hæc erat : *Explicit Vita domini Lietberti episcopi, edita a quodam monacho nomine Rodulpho*

6. Inedita sunt *Carmina varia*, quorum ipse meminit *Historiæ Trudonensis* lib. VIII, p. 690; et Trithemius quoque : *Volumen septem librorum contra Simoniacos* ipse loco citato memorat, Mabillonius in monasterio Gemblacensi invenit, et contenta narrat; sed illi postea in generali monasterii conflagratione perierunt, prout testantur Martene et Durand præfat. ad tomum IV *Collectionis ampliss.*, pag. 17. Meminit quoque, p. 687, *Compilationum*, quæ multis sententiis divinis et decretis conciliorum plenæ fuerunt, item *Gradualis* a se conscripti.

7. *Acta translationis Sancti Gereonis unius militis legionis Thebaeorum*. Editæ est a Surio d. 24 Novemb., nec non a Martene et Durand *Collect. ampliss.* tom. VI, pag. 1013.

8. *Vita Petri Venerabilis*, *ibid.* pag. 1187 (a).

(a) Est Rodulphi alterius Cluniacensis monachi. EDIT.